

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Gula b  
cum fontibus primis

Non propter porcum sed propter pomum mortem primus homo inuenit, et Esau primatum suum non propter gallinam sed propter lenticulam perdidit.

Sed ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem et inordinatam cupiditatem; non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo inuenit, et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.

Augustinus Hipponensis, *In Iohannis euangelium tractatus CXXIV.*, 73, 1 (CCSL 36, R. Willems ed., p.510, ll.29-33).

Scio enim Noe omne genus carnis quod cibo esset usui manducare concessum, Elyam cibo carnis refectum, Iohannem mirabili abstinentia peditum animalibus, id est locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticule concupiscentia deceptum, et Daud propter aque desiderium a seipso reprehensum, et regem nostrum non de carne sed de pane temptatum.

Scio Noe omne carnis genus, quod cibo esset usui, manducare permissum, Heliam cibo carnis refectum, Iohannem mirabili abstinentia praeditum animalibus, hoc est locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum: et scio Esau lenticulae concupiscentia deceptum et Daud propter aquae desiderium a se ipso reprehensum et regem nostrum non de carne, sed de pane temptatum.

Augustinus in glossa super illud Romanos XIII: Noli propter escam destruere opus Dei omnia quidem munda sunt.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 10, 31 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.180, ll.66-72).